



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispytationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

2 Vtrum sit vnum, vel plura.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

iterari non potest: hic autem spiritualis cibus sapius sumendus est, non ergo necesse est in omnibus seruari proportionem ad corporalia. Et hinc intelligitur facile solutio ad i. d. Thom. quæ alias obscura videri possit. Argumentatur enim fere dicto modo, Confirmatio & Eucharistia ad perfectionem spiritualis vitæ ordinantur: non ergo oportuit distingui. Respondet autem duplicem esse vitæ perfectionem: aliam formalem, quæ fit per proprium & intrinsecum augmentum, & ad Confirmationem pertinet: aliam veluti extrinsecam aduenientem, quæ fit per adiunctionem alicuius extrinseci, vt cibi aut vestimenti, & huiusmodi esse dicit perfectionem, quam Eucharistia tribuit: quæ doctrina est obscura, sensus vero est: in vita corporali esse quandam perfectionem intrinsecam, vt est robor vel augmentum corporis: aliam vero esse extrinsecam, quæ nobis adiungitur ex eo solum, quod res aliqua nobis admouetur, vt nos foueat seu tueatur, cuiusmodi est vestimentum, &c. Comparat autem D. Tho. sacramentum Confirmationis, priori perfectioni; quia confert virilem statum fidei & gratiæ, & spirituale robor ad resistendum contrarijs: Eucharistiam vero posteriori perfectioni, quia per se ordinatur, vt nos Christo coniungat, vt ab eo protegamur & foueamur, quamquam ipse Christus, qui nobis coniungitur, propter eximiam virtutem suam non solum extrinsecè nos defendat, sed etiam intrinsecè nos perficiat & nutriat: quæ nutritio, quia sine contraria diminutione fit, in augmentum tranfit, & magnum etiam robor confert. Et ad hunc modum intelligendū est, quod idem D. Th. supra, q. 65. ar. 1. ad 2. & ar. 3. dixerat, Confirmationem per se ordinari ad formalem perfectionem virtutis: Eucharistiam vero ad perfectionem, seu consecutionem finis, & eodem sensu dixit in 4. d. s. q. 1. ar. 1. questionem. 1. ad 1. sacramentum Confirmationis pertinere hominem in ordine ad operationem spiritualis vitæ, quæ est fidei & virtutis professio; Eucharistiam vero in ordine ad coniunctionem cum Christo, qui est fons omnium boni.

In solutione ad 2. attingit D. Thom. grauem questionem, quomodo species consecratæ efficiant sacramentalem effectum: quam infra suo loco commodius disputabimus. In solutione vero ad 3. explicat nonnullas differentias inter hoc sacramentum, &c. quas in sequentibus disput. latius tractaturi sumus.

SECTIO II.

Vtrum hoc sacramentum sit vnum, vel plura.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur quod in Eucharistia non sit vnum sacramentum, sed plura. Dicitur enim in Collecta, Purificent nos Domine sacramenta, quæ sumpsimus. Quod quidem dicitur propter Eucharistia[m] interpretari. Ergo Eucharistia non est vnum sacramentum, sed plura.

2. Præterea, impossibile est multiplicato genere non multiplicari speciem, sicut quod vnus homo sit plura animalia. Sed signum est genus sacramenti, vt supra dictum est. Cum igitur in Eucharistia sint plura signa, scilicet panis & vinum, videtur consequens esse, quod sint plura sacramenta.

3. Præterea, hoc sacramentum conficitur in consecratione materie: sicut dictum est. Sed in hoc sacramento est duplex materia consecratio: ergo est duplex sacramentum.

Sed contra est, quod Apostolus dicit 1. Cor. 10. Vnus panis, & vnus corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus: ex quo patet, quod Eucharistia est sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis. Sed sacramentum similitudinem gerit rei, cuius est sacramentum. Ergo Eucharistia est vnum sacramentum.

Respondet dicendum, quod sicut dicitur 3. Metaphysicæ vnum dicitur non solum, quod est indiuisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum: sicut dicitur vna do-

mus, & vnus homo. Est autem vnum in perfectione, ad cuius integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem eiusdem: sicut homo integratur ex omnibus membris necessarijs ad operationem animæ: & domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessarie ad inhabitandum: & sic hoc sacramentum dicitur vnum: ordinatur enim ad spirituales perfectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem perfectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum: & potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundum illud Ioann. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed vnum formaliter, & perfectiue.

Ad primum ergo dicendum, quod in eadem Collecta & pluraliter dicitur primo: Purificent nos sacramenta, quæ sumpsimus: & postea singulariter subditur. Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad penam: ad ostendendum, quod hoc sacramentum quodammodo est multa: simpliciter autem vnum.

Ad secundum dicendum, quod panis & vinum materialiter quidem sunt plura signa: formaliter vero & perfectiue vnum, in quantum ex eis perficitur vna refectio.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc, quod est duplex consecratio materie huius sacramenti, non potest plus haberi, nisi, quod hoc sacramentum materialiter est multa, vt dictū est.

In corp. art.

**R**espondet, hoc sacramentum esse multa materialiter, vnum vero formaliter ac perfectiue. Sensus D. Th. est, simpliciter esse vnum sacramentum, ex varijs reb. compositum ac perfectū, vt iam latius dicemus.

DISPUTATIO XXXIX.

Prima de Eucharistia.

De institutione sacramenti Eucharistia.



**H**ÆC disputatio continet, an sit hoc sacramentum, nam quia esse sacramenti ab institutione manat, idem est sacramenti institutionem, ac existentiam, inuestigare: simul vero de vnitatem huius sacramenti dicemus: nam quia vnum consequitur Ens, & vix ab illo distinguitur, ideo quæstionem de vnitatem & multitudine ad quæstionem, an est, semper reuocamus.

SECTIO I.

Vtrum Eucharistia sit sacramentum à Christo Domino institutum.

**E**ucharistia nomine intelligimus sacramentum quoddam sub speciebus panis & vini institutum, in quo secundum veram fidem Christus continetur, & à fidelibus sumitur, quæ vocis significatio necessario supponenda est, vt possit disputatio procedere, & res ipsa inuestigari, & ostendi. Huius autem sacramenti præcipuum mysterium in reali præsentia corporis & sanguinis Christi, & mirabili transmutatione vnus substantiæ in aliam, consistit. Vnde primum omnium inquirendum videbatur, an hoc mysterium verum sit, & quale, & quomodo fiat, sed hæc tractantur ad D. Thom. inferius commodiori loco, quæst. 75. pertinent enim hæc ad propriam essentiam, materialem partem huius sacramenti explicandam: hic vero solum generatim agimus de institutione sacramenti sensibilis, quod per modum cibi & potus in noua lege institutum est ad spirituales vitam nutriendam, & hoc vocamus Eucharistiam.

Ex antiquis ergo hæreticis quidam Archontici altaris mysterium omnino negarunt, vt Epiphanius refert hæresi 40. idemque fere de Messalianis refert Theodor. lib. 4. histor. c. 10. illi enim Eucharistiam nullius vtilitatis habere dixerunt.

*Eucharistia est sacramentum sub speciebus panis & vini institutum.*

*Archontici & Messaliani hæretici. S. Epiphanius, Theodor.*

Petropu  
ni heretici.

Petr. Clu  
rogomiti ha  
retici.

Euthym.

1. Conclus.

Joan. 6.

Mat. 26.

Marci 14.

Luca 22.

Conc. Trid.

2. Conclusio.

Conc. Flo  
rent. Triden  
Laceranen  
Carthag.

S. Dionys.

S. August.

S. Ambros.

S. Damasc.

utilitatis esse dicebant. Petrobrusiani vero dixerunt licet Christus haec mysteria celebraverit, non vero dedisse aliis eam potestatem: atque adeo nec sacramentum perpetuo in Ecclesia duraturum instituisse. Ita refert Petrus Clunia. in epist. quadam contra hanc haeresim. Demque Bogomih aiebant, Eucharistiam nihil esse, praeter orationem dominicam & Evangelium, unde sacramentum eueiebant, ut constat ex Euthym. in Panoplia 2. p. tit. 7. c. 17. haec autem haereses & Evangelio aperte repugnant, & nullum apparens habuere fundamentum, unde antiquare prius sunt.

Dicendum ergo est primo, conueniens fuisse in noua lege institui sacramentum aliquod sensibile, ut esset spiritalis cibus animarum. Conclusio est de fide ut ex facto ipso constat Ioan. 6. Matth. 26. Marci 14. Luca 22. & ex Trid. sess. 7. c. 5. ubi numerat omnia sacramenta à Christo Domino conuenientissima ratione instituta, & in specie de hoc sacramento, sess. 13. c. 1. & 2. Ratio, seu congruentia à D. Tho. hoc loco satis explicata est, ut vidimus. Est enim lex Euangelica perfectissima, & plenitudinem gratiae in se continens: & ideo conueniens fuit, ut huius legis sacramenta à Christo eius auctore instituta, augmentum & conseruationem gratiae possent conferre modis omnibus, vel necessariis, vel humane fragilitati accommodatis: ex quibus vnus, ac praecipuus est, ut per modum cibi & potus spiritalis homines nutririi possent, & ab innumeris periculis, quibus in hac mortali vita subditi sunt, defendi. Possunt praeterea hic addi omnes congruentiae, quas ad persuadendam realem Christi praesentiam infra suo loco asseremus. Nunc illa sufficiat, Christum Dominum esse animarum cibum, & ideo maxime deuisse, ut sicut cibus reficit corpus media quadam reali vnione cum ipso viuente, ita Christus in quodam sacramento praesens adesset, ut per modum cibi & potus nobis realiter coniunctus, nos spiritaliter rehercet.

Dico secundo, huiusmodi sacramentum esse Eucharistiam, quae propterea verum, ac proprium sacramentum est à Christo institutum. Conclusio est de fide, quam non solum Catholici, sed etiam noui heretici amplectuntur: nam etiam Lutherani & Caluinistae, qui vnum, vel ad summum, duo sacramenta, admittunt, primum ac praecipuum locum Eucharistiae tribuunt. Probat ergo conclusio, primo ex Scripturis, quae, licet non eisdem verbis, rem tamen ipsam satis aperte docet. Matth. 26. Luca 22. continetur visibilis caeremonia, & significatio, & praecipuum Christi, Hoc facite in meam commemorationem: & Ioan. 6. continetur gratiae promissio, Qui manducat hunc panem, viuet in aeternum. Et confirmari hoc possit ex veteri testamento, in quo variis figuris, & metaphoris sacramentum hoc indicatum, ac promissum est ut circa art. 6. D. Thom. videbimus.

Secundo definita est haec conclusio in Conc. Florent. in litteris vnionis: Trident. sess. 7. 13. & 21. Lateranensi, quod habetur in cap. Firmiter. Carthag. III. cap. 28. & 29. cap. Cum Marthae, de Celebr. missar. ca. In sacramentorum, cap. In sacramento, de Consecr. d. 2. Tertio tradunt Patres omnes, qui late citantur dicta dist. 2. de Consecratione, & referemus plures in disputationibus sequentibus, nunc sufficiant Dionys. capite 3. de Ecclesiast. Hierarch. Augustin. episto. 23. & 18. Ambros. lib. 5. de sacramento. Damasc. lib. 4. ca. 14. Quarto ratio sumenda est ex definitione sacramenti nouae legis: est enim sacrae rei signum, ad sanctificandum hominem institutum, quae tota definitio apertissime in Eucharistiam conuenit, ut per se facile est, & ex dicendis euidentius patebit. Et ex his patet vltima conclusionis pars: scilicet solum Christum fuisse huius institutionis auctorem, tum generali ratione omnium sacramentorum nouae legis, tum etiam ratione propria, quia nullus potuit habere potestatem supra corpus & sanguinem Christi, nisi ab ipso meto Christo deriuatam: nec potuit vllus

nisi Christus nouum testamentum fundare, & proprio sanguine confirmare ac consecrare: & quamuis de absoluta Dei potentia aliud genus institutionis excogitari posset, nullum tamen aliud adeo decens, aut expediens fuit.

SECTIO II.

Utrum hoc sacramentum sit idem à reliquis, eiusque perfectio.

HAEC quaestio facilis etiam est, & breuiter ex praecedenti expediiri potest. Dico ergo primo, Eucharistiam esse sacramentum, essentialiter distinctum ab aliis sacramentis nouae legis. Conclusio est certissima ex omnium consensu: & ex Conciliis, de iunctibus septem esse sacramenta. Ut autem explicetur, oportebit breuiter proponere omnia, in quibus hoc sacramentum cum aliis conuenit, & in quibus differt. Nam licet multa probanda sint in sequentibus, expediat tamen nunc ea praeculis ponere. Primum igitur, si metaphysice loquamur, conuenit hoc sacramentum cum aliis in genere sacramenti nouae legis, habet tamen propriam differentiam, per quam describi potest, esse sacramentum corporis & sanguinis Domini, per modum conuiui ad nutritionem animae institutum. Vnde etiam constat alia similitudo & differentia. Conuenit enim in virtute conferendi gratiam: differt tamen in proprio fine ad quem est institutum: nam per se primo datum est ad charitatem, & deuotionem augendam, ut latius infra q. 79. Deinde per principia quasi physica rem explicando: commune est huic sacramento cum aliis, quod certam materiam & formam requirit, ut conici possit: differt tamen, quia illius materia & forma distincta est à reliquis: est enim panis & vinum, & verba specialia à Christo definita. Hinc secundo, sicut in aliis sacramentis datur materia remota & proxima, ita & in hoc sed diuerso modo: quia in aliis materia proxima est aliqua actio: remota vero est aliquid aliud, ex quo, vel circa quod, talis actio exercetur. At vero in hoc sacramento, materia non est actio, sed res permanens, quae quatenus in consecratione sacramenti transiit. secundum substantiam, est materia remota: quatenus vero manet secundum accidentia, est materia proxima. Vnde est tertia differentia, quod in aliis sacramentis, tam materia quam forma sunt res successiuae: & ideo moraliter simul sunt & simul pereunt: hic vero forma est successiua & transiit, materia vero proxima consecrata permanet. Vnde fit quarto ut alia sacramenta tantum sint vsu: quia tunc sunt, quando ad usum applicantur, tunc autem sunt, quando fiunt, ad modum rerum successiuarum: hoc vero sacramentum ante usum in ipsa consecratione pericitur: & ideo post suum fieri, factum permanet, quamuis species consecrata durant, ut ex Trident. colligitur sess. 13. cap. 3. Ex quo fit quinto, ut in aliis sacramentis tam materia, quam forma ordinentur ad vnum & eundem effectum in suscipiente efficiendum: hic vero diuersos habent effectus: forma enim nihil efficit in suscipiente, sed in materia, quam transmutat & conficit: materia vero consecrata habet in suscipiente gratiae effectum. Vltima vero & potissima differentia, & radix aliarum est, quod in aliis sacramentis praeter materiam sensibilem, & formam nihil in eis inest, nisi quod assumuntur, ut instrumenta ad gratiam efficiendam: & ideo dicitur eis conferri instrumentaria virtus gratiae effectrix: in hoc vero sacramento praeter formam, & materiam per se sensibilem, adest vere & realiter ipsemet Christus, qui est praecipua res huius sacramenti, & proprius auctor gratiae, quae per illud conferretur. Ex his ergo satis patet conclusio posita.

Dico secundo, hoc sacramentum esse longe perfectius & excellentius reliquis. Haec etiam est deinde, & sumi potest ex Trid. sess. 13. ubi propter hanc causam saepe vocat hoc sacramentum, diuinum ac mirabile sacrosanctum atque sanctissimum: qui est communis modus

duo loquendi potius Ecclesie & Sanctorum omnium & c. dicit, Christum Dominum diuitias amoris sui in hoc sacramento veluti effudisse, & c. dicit, Virtutem sanctificandi communem esse huic sacramento cum reliquis: huic vero proprium esse, quod ipsum sanctitatis authorem in se continet. Propter hanc denique causam precipue existimo idem Con. sess. 7. Ca. 3. anathematis damnare eos: qui docent omnia sacramenta esse aequalia dignitate. Ratio vero potissima est, quia hoc sacramento continet corpus & sanguinem Domini: vt autem dicit Alex. Papa epist. 1. Deeret. & habetur in c. Nihil, de Consec. d. 2. In sacramentis seu sacrificiis, nihil est maius corpore & sanguine Domini. Quae ratio variis modis explicatur a Theologis. Primo, quia dignitas sacramentorum potissimum in sanctitate consistit: illud ergo est dignius, quod sanctius. Reliqua vero sacramenta solum sunt sancta, habitu dicitur: quia significant & conferunt sanctitatem: hoc vero, tum hoc modo, tum etiam formaliter, quia ipsam sanctitatem in se continent. Secundo, quia sacramentum est signum sacrum, eoque dignius, quo magis sacrum: sed hoc sacramentum est omnium sanctissimum, propter eandem rationem, scilicet, quia rem maxime sacram continet & significat. Ita fere D. Th. supra, q. 65. art. 3. Marfil. in 4. q. 6. art. 3. Scot. Durand. Gab. & alij d. 8. Tertio addit S. Tho. (& habet fundamentum in Dion. c. 3. de Eccles. Hierar.) hoc sacramentum esse excellentius, quia est finis, & consummatio ceterorum, ad quod omnia aliquo modo referuntur: quod potissimum ratione rei contentae intelligendum est. Nam si proprie & in rigore loquamur de sacramento vt sic, & vsu sacramentali, non omnia sacramenta proprie ordinantur ad vltimum huius, nisi valde remote & per accidens, vt constat de Matrimonio, & Extrema vnctione: quia vero omnia sacramenta ordinata sunt, vt perfectius Christo vniamur, & ipse Christus in hoc sacramento continetur, & per illud mirabili modo haec vnio perficitur, & consummatur, ideo dicitur hoc sacramentum consummatio ceterorum. Ita fere D. Th. in 4. d. 7. q. 1. a. 1. q. 3. Quarto confert ad hanc perfectionem, quod hoc sacramentum est permanens: cetera transiunt. Adde denique Scotus formam huius sacramenti habere certiore significationem, quam formas reliquorum: quia eius effectus non pendet ex dispositione recipientis, cum sit sola materiae consecratio. Quod sano modo intelligendum est: omnes enim formae sacramentorum habent infallibilem significationem in eo sensu quo significant: quia illis non potest subesse falsum, vt supra ostensum est. Differentia ergo est in effectu, quia in aliis interdum impeditur, in hoc vero non, quantum est ex parte materiae.

SECTIO III.

Vtrum hoc sacramentum sit vnum tantum.

Quaestio intelligitur de specifica vnitatem, sub propria & formali ratione perfecti sacramenti: nam materialiter constat, res multas in hoc sacramento inueniri. Hinc vero sumitur ratio dubitandi: quia in hoc sacramento sunt duae materiae, scilicet panis & vinum, & duae formae verborum, quae res diuersas significant & efficiunt per se & propria virtute, scilicet carnem & sanguinem Christi: vnde etiam species panis per se significant corpus, quod continet, species autem vini, sanguinem: sunt ergo haec diuersa signa sacra, atque adeo diuersa sacramenta. Neque enim dici potest, esse partialia sacramenta, seu partes vnius integri sacramenti, quod componunt: quia illa signa per se distincta sunt, & nullam inter se habent vniorem vel coniunctionem, qua vnum sacramentum componant. Et confirmatur, primo, ex communi vsu & locutione: nam qui suscipit speciem panis, non dicitur suscipere partem sacramenti, sed simpliciter totum sacramentum. Confirmatur secundo: nam qui vnam speciem sumit, totum effectum gratiae sa-

cramentalis recipit: est ergo quaelibet species per se in tegrum sacramentum, atque adeo duo sacramenta. Confirmatur vltimo, quia Ecclesia in orationibus Missae, saepe de Eucharistia, vt de multis sacramentis, loquitur, vt cum ait, Sacramenta, quae sumptimus, & c. & Con. & Patres eodem modo interdum loquuntur, vt patet ex Conc. Africano, c. 4. Cartha. III. c. 24. & 29. Cypr. serm. de Coena Domini. Ambro. lib. 5. de sacram. c. 1. & aliis, quae habentur c. Sacramenta altar. de Conf. d. 1. & c. In sacramentis, c. Competimus, c. Trib. gradib. c. Species, c. Iteratur, de Consecr. d. 2.

Propter haec nonnulli Theologi simpliciter affirmant, esse plura Eucharistiae sacramenta, vt ex Aureolo refert Capreol. distin. 8. q. 1. arg. contra 2. conclus. vbi etiam Maior dicit esse plura sacramenta specie distincta: licet fateatur posse etiam vnum appellari, Gabr. etiam quaestione 2. artic. 2. & lectio. 53. in Canon. dicit esse plura simpliciter, vnum vero secundum quid, scilicet, vel genere proximo, vel aggregatione quadam.

Dicendum vero est Eucharistiam absolute & simpliciter esse vnum sacramentum, vnitatem videlicet specificam in specie atomi, integra, & perfecta. Haec est mens D. Tho. hic, & grauiorum Theologorum, d. 8. Bonauent. q. vltima, Albert. art. 13. Richard. art. 1. q. 2. Durand. q. 1. ad 2. Capr. Palud. Scoti, & c. Marfil. q. 6. art. 2. in fine, Alenf. q. 3. memb. 1. Soti item, d. 24. q. 1. artic. 3. ad 2. Ledef. 1. part. q. 5. artic. 2. Turrecrem. de Consecrat. dist. 2. capit. 5. dub. 3. & in eandem sententiam tandem descendit Gabr. lectio. 53. attente legatur, eamque grauius docet Catechismus Pij V. dicens, Non plura, sed vnum tantum sacramentum Ecclesiae auctoritate docti confitemur. Rationem huius vnitatis quidam sumunt ab institutione: quia nimirum moraliter vna fuit institutio huius sacramenti. Alij a re contenta sub vtraque specie, quae est vnus & idem Christus. Alij ab effectu, quia per vtraque speciem vnus & idem efficitur. Propria vero ratio est, quam D. Thomas tetigit. Quia licet ad constitutionem huius sacramenti concurrant res variae & materialiter distinctae, propriaeque habentes significationes, omnes tamen componunt vnum integrum signum rei & effectus spiritualis, componunt ergo vnum sacramentum. Antecedens declaratur primo, quia hoc sacramentum potest intelligi institutum ad rem praeteritam significandam, scilicet crucentum Christi sacrificium, quod effusione sui sanguinis, & morte sua consummatur, iuxta illud, Hoc facite in meam commemorationem: illud autem sacrificium, quod vnicum fuit, non significatur expresse per vnam, vel alteram speciem, sed per vtramque simul, quae, dum separatim consecrantur, & offeruntur effusionem sanguinis, & separationem animae a corpore representant, quae ratio infra, in materia de communionem sub vtraque specie, & de sacrificio, latius explicanda est. Secundo intelligitur significare hoc sacramentum rem, quam continet, & hinc etiam vnitatem habet, non solum, quia sub vtraque specie, idem Christus continetur, sed etiam, quia ex vtraque specie vnum integrum signum Christi completur: qui, vnus cum sit, carne & sanguine constat, quare, licet caro & sanguis distincta videantur, tamen quatenus natura sua vnum corpus Christi componunt, per passionem vero distincta fuerunt, vno integro sacramento duplici specie constante, representantur. Tertio significat hoc sacramentum gratiam, quam efficit: & ex hac etiam parte habet vnitatem, quia vel per vtramque speciem sit vnus tantum effectus, vt infra dicitur, vel certe qualiscumque ille effectus significatur, ita explicite per vnam speciem, sicut per vtraque significatur enim per modum coniuuij, & spiritualis refectio per analogiam ad corporalem. Vnde sicut haec non consistit in solo cibo, vel potu, sed vtrumque requirit, ita illa per cibum & potum complete significatur. Nec refert, quod spiritualis refectio consistit

Conc. Afric.  
Con Car.  
S. Ambr.  
S. Cyr.

Quorundam  
opinio  
Aureolus.

Gabriel.

Conclusio.

D. Thom.

D. Bonau.

Albertus.

Richard.

Durandus.

Capreolus.

Paludanus.

Soto.

Marfilus.

Ledesma.

Turrecrem.

Gabriel.

Catech. Pij.

D. Thom.  
Marfil.  
Soto.  
Durandus.  
Gabriel.  
S. Damy.

Thom.

Alia.

Thom.

Sacram.  
Euchar.  
Catech. Pij.

dem omnino donis in re ipsa perficiatur, scil. gratia & charitate, quae tam famem, quam sitim animae extinguunt: quia nihilominus haec eadem spiritualis res, seu effectus, non nisi per corporum conuiuium perfectum expresse & omnino complete significatur. Quarto significat hoc sacramentum vnitatem, & amorum coniunctionem, quam efficit, quod in se est, inter fideles, qui illud participant, vt dicitur in c. Firmiter, de sum. Trini. & fid. Cathol. & in c. Cum Marthae, de celebra. missar. indicant Concilia, Flor. & Trid. Haec vero fidelium vno licet per singulas species aliquo modo significetur, quatenus ex multis granis tritici, aut vuae, vnus panis, vel vnum vitum conficitur, vt Cyp. Aug. Ansel. & alij Patres docuerunt, quos infra, agentes de materia huius sacramenti, referemus, & colligitur ex cap. Firmiter, de sum. Trini. & cap. Cum Marthae, de celebra. missar. proprie tamen significatur haec vnitatem per vtramq; speciem, quatenus ad vnius corporis refectionem ordinantur, iuxta illud 1. ad Cor. 10. Omnes vnum corpus sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Neq; satis conuenienter significaretur haec vnitatem per Eucharistiam, nisi ipsa esset vnum sacramentum. Quinto deniq; significare potest hoc sacramentum futuram gloriam, cuius est pignus. Et haec etiam significatio completa inest in vtraq; specie simul sumpta, & non ita expresse in alterutra tantum: quia per vtramq; indicatur plena satietas, & sufficientia, quae futura est in aeterna beatitudine: igitur sub omni ratione consilatur vnum perfectum signum ex vtraque specie, atque adeo vnum sacramentum.

Secundo principaliter declaratur conclusio, quia vt agentes de sacramentis in genere diximus, vnitatem sacramentorum non est omni parte perfecta, resultans ex indiuisibili entitate, aut ex vnitatem physica partium componentium: sed talis est, qualis in reb. vel signis artificialib. inueniri solet: sic enim domus, exercitus, oratio, conuiuium & aliae res vel actiones similes habent suam vnitatem, ad quam non exigitur physica vno partium, sed talis, qualis ad perfectionem & finem talis rei sufficere censetur, vt in exercitu sufficit quidam ordo, & compositio partium. In domo maior coniunctio, seu copulatio partium necessaria est, propter maiorem domus integritatem. In oratione vero, vel alio signo sufficit ordo partium in certa mensura, vel proportione significandū accommodata: neque huic vnitati ob stare solet distinctio seu diuersitas partium inter se: nam etiam solet res artificiatas ex partibus heterogeneis componi, quod etiam in aliis sacramentis videre licet: constat enim materia & forma, quae res diuersae sunt, & vnaqueque significat modo sibi accommodato, & tamen vnum sacramentum componunt: licet non physica vnitatem, sed moralem, & proportionatam ad rationem signi complendam, copulentur: sic etiam in sacramento Poenitentiae est magna varietas partium in ipsa materia: in sacramento vero Extreme vntionis & Ordinis tam in materia, quam in forma: & nihilominus sacramentum est vnum: cur ergo non idem dicemus in hoc nostro sacramento?

Tercio probatur, quia alias plura essent, quam septem sacramenta contra Concil. Flor. & Trident. & vniuersum Ecclesiae consensus. Dices: esse plura in specie vltima: à Conciliis vero numerari septem, sub aliqua ratione generica: sic enim multi censent sacramentum Ordinis non esse vnam speciem, sed plura. Sed huic responsioni obstat, quia iuxta illam nihil certum statui potest de numero sacramentorum, tum quia non obstante definitione Conciliorum, posset aliquis dicere, sub Baptismo contineri plura sacramenta Baptismi specie distincta, & similiter de aliis: tum etiam, quia sub ratione aliqua generica possent tantum duo, vel tria sacramenta numerari. Non ergo numerantur sacramenta sub generica ratione, in qua, vt ex Aristotele sumitur, latere potest

aequiuocatio: sed numerantur à Conciliis sub ratione specifica. Ad do, opinionem illam de multitudine simpliciter sacramentorum Ordinis falsam omnino esse: & retorquendum potius esse argumentum: nam omne aliud sacramentum est vnum vnitatem specifica, & si quae reperitur varietas, tota illa est veluti partium heterogenearum componentium vnum, ergo idem est in praesenti dicendum.

Tandem Concilia & Sancti frequentius loquuntur de Eucharistia, tamquam de vno sacramento, vt patet ex Conc. Flor. & Trid. sess. 7. & 13. & ex multis, quae de Consecr. d. 2. referuntur, & in Collectis Missae hic est frequentior vsus, vt D. Thom. hic adnotat, quod si interdum in plurali loquuntur de sacramentis, id fit lata & vulgari locutione: vel propter plura signa partialia, vel propter plura mysteria, quae in eis continentur, & repraesentantur: vel certe, quia frequentius erat in vsu, vt in fine sacrificij fideles communicarent, & sacramenta reciperent, vnde hic modus locutionis frequentius reperitur in illa oratione Missae, quae post communionem dicitur, vt, Purificet nos Domine sacramenta, quae sumpsimus, &c.

Ex his facile respondetur ad rationem dubitandi in principio positam: negatur enim inter partiales formas & materias huius sacramenti, non esse sufficientem vnitatem ad componendum vnum sacramentum, quia, vt dixi, non oportet hanc vnitatem esse quasi physicam, vel pertinentem ad quantitatem continuam: sed moralem, seu cuiusdam ordinis & proportionis, prout ad componendam vnam integram vel expellam significationem sufficit.

Ad primam confirmationem, respondetur in primis, quod ad modum loquendi attinet, saepe partem recipere denominationem, quando per se, & quasi separata consideratur, vt patet in partibus homogeneis, & in quantitatis discretis: vna enim propositio per se sumpta, oratio est: licet alias pars etiam sit vnius longioris orationis: & pars domus, si sufficiens sit ad vsum, & finem domus, seu iuncta ab aliis partibus, & per se constituta, dicitur absolute domus, quamuis ex illa componi possit perfectior, & integrior domus: sic ergo species panis per se sumpta, potest dici sacramentum, quamuis cum alia specie vini vnum componat sacramentum, cuius est pars. Secundo dicitur homo suscipere totum sacramentum sub vna specie, qui recipit totum Christum, qui est res praecipua in hoc sacramento, & sacramentum simul, vt indicat Trident. sessio. 21. cap. 3. Item, quia veluti eminenter recipit totam virtutem huius sacramenti, & quidquid ad perfectam refectionem spiritualem necessarium est. Quo modo dici potest tota ratio seu virtus huius sacramenti esse in toto, & in qualibet parte eius: formaliter tamen & in ratione signi, non recipiunt fideles in vna specie totum id, quod est sacramentum tantum: & hoc modo dixit Bonau. d. 11. art. 2. quaest. 2. fideles accipere in vna specie totum sacramentum, quoad efficaciam, non quoad significationem. Vnde patet solutio ad secundam confirmationem, nam licet non sit certum, per singulas species dari totum effectum huius sacramenti, tamen hoc admissio, potius confert ad illius vnitatem, quia ad eundem effectum ordinatur totum, vt ex duabus speciebus constat, licet per quamlibet partem possit illum efficere. Si vero singulae species conferunt diuersos effectus, illae erunt partiales, sicut de distinctis Ordibus dictum est. Ad vltimam confirmationem in superioribus responsum est.

Dubitant tamen hic nonnulli Theologi, an in distinctis speciebus huius sacramenti sint distinctae relationes signi, ex quibus componatur relatio totius, vel sit vna indiuisibilis relatio in toto composito. Scotus enim distinct. 8. quaestio. 1. priorem partem amplectitur. Capreolus vero ibi ad 5. contra 2. concludit. & ad 5. licet fateatur supponi singularium

Conc. Flor.  
Trident.

S. Cyp.  
S. August.  
S. Anselm.

gularum partium significaciones, contendit tamen relationem totius sacramenti, esse vnam & indiuisibilem. Sed hac quaestio est de nomine, & magis Diabolica, quam Theologica: quia non solum de hoc sacramento, sed etiam de aliis, & de omnibus signis complexis ad placitum tractari potest. Dico igitur negari non posse, quin significatio integra huius sacramenti componatur ex significacionibus partium: componitur n. ex illis, quatenus significatiue sunt: & hoc voluit Scotus & D. Th. hic, cum dixit, hoc sacramentum esse vnum, non vt indiuisibile, sed vt perfectum, includens plura signa partialia. Nihilominus verum etiam est, in toto sacramento esse vnam totalem significacionem, quae a significacionibus singularum partium distinguitur. Hoc etiam constat ex dictis de vnitae huius sacramenti, non enim potest sacramentum esse vnum, nisi sit vnum signum: neque vero potest esse vnum signum, nisi etiam aliquo modo sit significatio vna, vt videre est in propositione & terminis, ex quibus componitur: habet enim suum proprium significatum distinctum a significatis terminorum, ex quibus componitur. Haec autem significatio totius sacramenti dici potest composita, quatenus diuersis partibus constat, & in re composita inest, quodammodo tamen solet dici indiuisibilis, quatenus indiuisibiliter inest in toto complexo, ita vt nec in partibus manere possit eo modo, quo est in toto, neque etiam ablato debito ordine, & connexione partium. & hoc ad summum, & probant fundamenta Capreoli, quae solum sunt quaedam testimonia Diui Thomae.

SECTIO IV.

*Quomodo vnitae numerica huius sacramenti sumenda sit.*  
 Quoniam de vnitae specieca diximus, vt materiam hanc de vnitae absoluamus, oportet, vt modum loquendi de illius vnitae numerica explicemus. Dico autem modum loquendi, quia quod in se ipsa subsistit, facile perspicere potest: constat enim formas huius sacramenti multiplicari numero, quando verba consecrationis hostiae, vel calicis multiplicentur, constat etiam species panis seu vini, quam diu continua sunt, habere quandam physicam vnitatem, quam per discontinuationem amittunt, & physice multiplicentur: constat denique sub omnibus speciebus consecratis eundem numero Christum contineri. Ex quibus etiam constat tunc propriissime esse vnum numero hoc sacramentum, quando species consecratae habent physicam vnitatem per partium continuationem, siue vna forma, siue pluribus simul prolatis consecratae sint: hoc enim non obstat vnitati sacramenti, praesertim in hoc, in quo forma magis ad effectum quam ad constitutionem ipsius sacramenti requiritur. Difficultas ergo, quae mihi videtur ad modum loquendi pertinere, superest, an species hoc ipso, quod discontinuae sunt, dici debeat plura sacramenta, vel non: & ex sermo de speciebus eiusdem rationis: nam de speciebus panis & vini inter se collatis iam dictum est: possunt autem in hoc esse tres modi dicendi.

Primus, tot esse sacramenta numero distincta, quot sunt species seu hostiae consecratae, diuise & discontinuae. Probatur, quia species sunt sacramenti: ergo species numero distinctae sunt sacramenta numero distincta. Secundo, quia quaelibet illarum in sua specie habet totam significacionem sacramenti, & non est pars alterius, ergo est integrum sacramentum, distinctum ab alio. Tertio, quia non apparet aptior modus distinguendi numero haec sacramenta. Sed huic sententiae videtur ob stare communis modus sentiendi & loquendi: nam sacerdos, qui accipit hostiam diuisam in tres partes, non censetur accipere tria sacramenta, neque illa hostia censetur magis esse plura sacramenta post diuisionem, quam antea. Vnde Concil. Flor. & Trident. sess. 13. Can. 3. dicitur, in hoc sacramento contineri totum Christum sub vnaquaque specie, & sub singulis speciebus partibus, separatione Franc. Suarez. Tom. 3.

facta: sentiunt ergo etiam post separationem, esse vnum sacramentum: & partes diuisas esse partes vnius sacramenti. Confirmatur primo, nam qui duas formas accipit, cum communicat, vnum, & non duo sacramenta censetur accipere alias duos etiam effectus gratiae susciperet: nam si sacramenta essent duo, etiam sumptiones essent duae: ergo & effectus essent duo: quia, quod simul concurrant, non impedit effectum, vel certe, si illa censetur vna moralis sumptio, etiam sacramentum censetur vnum, non obstante discontinuatione specierum. Confirmatur secundo, quia, vt supra dicebam, in huiusmodi rebus artificialibus, vnitae non pendet ex physica vnione, vel continuatione, vt in baptismo: licet contingat abluionem per partes discontinue fieri, tamen in ratione sacramenti vna tantum materia censetur.

Secundus modus dicendi est: vnitatem huius sacramenti non pendere ex physica continuatione: sed ex morali coniunctione specierum, ita vt omnia illa, quae per modum vnius proponuntur, vel tribuuntur, vnum sacramentum censentur: etiam si non sint continua physice, ita loquuntur Soto & Ledesma supra, & videtur fieri probabile argumentis factis, & potest explicari ex metaphora coniuij. Sicut enim est vnum coniuium, sicut rebus diuersis constat, ita etiam est vnum ferculum seu vna portio, licet partes illius discontinuas esse contingat. Vnde iuxta hanc sententiam partes hostiae diuisae sunt vnum sacramentum: & similiter omnes formae in eadem pyxide existentes appellari possunt vnum sacramentum, donec distributio fiat: vnde plura sacramenta erunt, quae moraliter sunt disiuncta, vt cum disiunctae hostiae distinctis personis tribuuntur, vel omnino alias separatae sunt, vel disiunctae. Contra quem modum dicendi solum video posse ob stare, quod iuxta illum nulla certa regula huius vnitatis, vel multitudinis praescribitur, sed vniuersi quae fere arbitrio relinquuntur.

Tertius modus dicendi esse potest, totum hoc sacramentum esse vnum numero, & omnes species consecratae, vbicumque & quomodo cunq; sint, esse vnum numero sacramentum, quod ita declarari potest, quia, vt infra dicemus, quod praecipuum est in hoc sacramento, est Christus, quatenus coniunctus speciebus vnum sacramentum cum illis componit, quod est panis vitae: quia ergo vnum & idem corpus Christi est sub omnibus speciebus quantumuis discontinuis & disiunctis, ideo cum illis censetur componere vnum numero sacramentum. Quod declaratur primo, quia si verbum diuinum assumeret plures humanitates, esset vnus homo: ergo Christi corpus vel utriusque, seu sacramentaliter sibi coniungens plures species panis cum eis constituit vnum sacramentum. Item, si in eodem, vel propinquo loco sub illis existeret, constituit cum eis vnum sacramentum, ergo & in diuersis: sicut in exemplo posito, quod ille humanitates essent in vno, vel diuersis locis, nihil referret: vel etiam sicut vnum corpus si esset in diuersis locis, quatenus in eis haberet diuersas albedines, nihilominus cum eis constitueret vnum album. Et videtur hoc posse confirmari ex Paul. 1. ad Cor. dicente, Omnes vnum corpus sumus, qui de eodem pane participamus: sicut n. Paulus intelligit omnes fideles vnum numero corpus Ecclesiae constitutere, ita significat omnes vnum numero panem seu sacramentum participare. Fauet etiam Ambrosius super 10. c. epistolae ad Hebr. & habetur c. In Christo, de Consecrat. d. 2. dicens, vnam esse hostiam, & non multas, quam Christus obtulit, & omnes sacerdotes offerunt: sicut ergo est idem numero sacrificium, quoad rem oblatam, ita est idem sacramentum: nam in Ecclesia id, quod offertur in sacrificium, sumitur vt sacramentum.

Sed obicit potest, nam hinc fit, omnes fideles idem numero sacramentum Eucharistiae recipere, quod videtur esse contra communem sensum omnium, & contra Clementem Papam in cap. Tribus gradibus, de

2. Dicendi modus.

Sotus. Ledesma.

3. Dicendi modus.

1. ad Cor.

S. Ambrosius.

Obicit.



Solutio.

Consecr. d. 2. dicentem, Tot holocausta offerenda esse in altari, quot populo possint sufficere. Respondetur, concedendo omnes fideles participare idem numero sacramentum, ut Paulus loquitur, quamvis diuersas numero partes, formulas, aut hostias, seu species sacramentales recipiat de quibus, seu potius de numero hostiarum, quæ consecrandæ sunt, loquitur Clemens in d. c. quæ simpliciter plures sunt, præsertim ante consecrationem: at verò post illam recipiunt quandam vnitatem sacramentalem, eo quod in eodem corpore Christi vniuntur: maior enim videtur esse hæc vnio, quod spectat ad vnitatem sacramenti, quam vnio per continuationem. Inter hos modos, ut dixi, tantum videtur esse disensio de modo loquendi: & vltimus quidem probabilis valde est, & Theologicus, ac dignitati huius sacramenti consentaneus, & satis aptus ad explicandum hoc mysterium: fouet enim pietatem, dum optime explicat & commendat vnitatem, quæ in hoc sacramento significatur. Secundus tamen verò nimium retinere vult Philosophicum rigorem, & ideo ad loquendum in hac materia minus est accommodatus. Dicamus igitur hoc sacramentum de se posse dici vnum, præsertim si Christum attendamus: nihilominus tamen sit cut species consecratae sunt sacramentum, ita species separatas & multiplicatas esse plura sacramenta, vel physice, si physica tantum sit distinctio, vel etiam moraliter, si separatio moralis etiam sit.

ARTICVLVS III.

Vtrum Eucharistia sit de necessitate salutis.

Inf q. 80. a. 11. & 4. dist. 9. art. 1. q. 2. & d. 12. q. 3. ar. 2. q. 1. & loc. 6. lib. 7. col. 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum sit de necessitate salutis. Dicit enim Dominus Ioa. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed in hoc sacramento manducatur caro Christi, & bibitur sanguis eius. Ergo sine hoc sacramento non potest homo habere salutem spiritualem vite.

2. Præterea, Hoc sacramentum est quoddam spirituale alimentum: Sed alimentum corporale est de necessitate corporalis salutis. Ergo etiam hoc sacramentum est de necessitate spirituales salutis.

3. Præterea, Sicut baptismus est sacramentum Dominice passionis, sine qua non est salutis: ita & Eucharistia: dicit enim Apost. 1. Cor. 11. Quotiescumque manducaueritis panem hunc, & calicem bibitis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Ergo sicut baptismus est de necessitate salutis, ita etiam hoc sacramentum.

Sed contra est, quod August. \* scribit Bonifacio contra Pelagianos: Nec illud cogitatis, paruulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi.

Respondetur dicendum, quod in hoc sacramento duo est consideranda: scilicet ipsum sacramentum & rem sacramenti: dictum est autem, quod res huius sacramenti est vnitatem corporis mystici, sine qua non potest esse salus: nulli enim patet alius salutis extra Ecclesiam, in sicut nec in diluuiio absque arca Noe, qua significat Ecclesiam, ut habetur 1. Pet. 3. dictum est autem supra, quod res alicuius sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti, ex ipso voto sacramenti percipiendi.

Vnde ante perceptionem huius sacramenti, potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum: sicut & ante baptismum ex voto baptismi, ut supra dictum est. \* Est tamen differentia, quantum ad duo. Primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vite, & ianua sacramentorum: Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vite, & omnium sacramentorum finis (ut supra dictum est) per sanctificationes enim omnium sacramentorum, fit preparatio ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam:

Lib. 4. contra duas epist. Pelagianas. c. 11 in mod. 2. m. 7.

q. 68. art. 2.

q. 68. art. 2.

q. 65. art. 3.

perceptio autem Eucharistia est necessaria ad consummandam ipsam: non ad hoc, quod simpliciter habeatur, sed sufficientiam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio & intentione alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: & ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam: & sic sicut ex fide Ecclesia credunt, sic ex intentione Ecclesia desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsam. Sed ad baptismum non ordinatur per aliud præcedens sacramentum. Et ideo ante susceptionem baptismi non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti: vnde rem sacramenti non possunt percipere sine perceptione sacramenti. Et ideo hoc sacramentum non hoc modo de necessitate salutis, sicut baptismus.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustin. \* dicit, exponens illud verbum Ioa. Hunc cibum & potum, scilicet carnis sue & sanguinis, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis & vocatis & iustificatis & glorificatis sanctis & fidelibus eius. Vnde sicut ipse dicit in epistola \* ad Bonifacium, nulli est aliqua tenus ambigendum, tunc vnquamque fidelium corporis & sanguinis que Domini participem fieri, quando in baptizante membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicis que consortio etiam antequam panem illum comedat & calicem bibat, & de hoc saculo in vnitatem corporis Christi constitutus decedat.

Ad secundum dicendum, quod hæc est differentia inter alimentum corporale & spirituale, quod alimentum corporale conuertitur in substantiam eius qui nutritur: & ideo non potest homini valere ad vitæ conseruationem alimentum corporale, nisi realiter sumatur. Sed alimentum spirituale conuertitur hominem in seipsum: secundum illud, quod August. \* dicit in lib. Confess. quod quasi audiuit vocem Christi, dicens sibi: Nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tue, sed tu mutaberis in me. Potest autem aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam sine huius sacramenti perceptione, Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod baptismus est sacramentum mortis & passionis Christi, prout homo regeneratur in Christo, virtute passionis eius: sed Eucharistia est sacramentum passionis Christi, prout homo perficitur in vniõnem ad Christum passum. Vnde sicut baptismus dicitur sacramentum fidei, quæ est fundamentum spiritualis vite, ita Eucharistia dicitur sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis, ut dicitur Colos. 3.

COMMENTARIVS.

TRACTATUS DE NECESSITATE MEDIJ, non de necessitate præcepti, quod satis constat ex discursu articuli, & infra q. 80. de necessitate præcepti disputat. Vt autem D. Thomas quæstioni respondeat, distinctione vtitur inter sacramentum & rem sacramenti: rem sacramenti vocat gratiam seu vniõnem charitatis cum Christo & corpore eius, quod est Ecclesia, extra cuius vnitatem non est salus: sacramentum autem vocat species consecratas, seu corpus Christi verum sub illis contentum. Dicit ergo primo D. Thomas, rem sacramenti esse ad salutem necessariam, quia sine Ecclesia vnitatem non est salus. Vbi obseruare oportet vnitatem Ecclesie seu charitatis dupliciter considerari posse: vno modo secundum se, alio modo prout esse potest effectus Eucharistie, & per illam periculi seu consummari. Hoc modo posteriori est proprie & formaliter hæc vnitatem res huius sacramenti: nam licet per illud specialiter modo significatur, ita & efficitur, ut infra latius dicemus agentes de effectibus huius sacramenti. Priori autem modo hæc vnitatem secundum se, & generatim sumpta, non necessario est res huius sacramenti proprie & formaliter loquendo: nam fieri potest, & augeri per alia sacramenta, aut per actus virtutum & merita: tamen per quandam appropriationem dicitur hæc vnio res huius sacramenti, quia